



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

CVIII. Carolvs Casparvs LXXXII. Arch. XXXVII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

Verum Suffragiis plurium electus Casparus de Petra, & Pontifici & Cæsari placuit. Annos deinde non nisi geminos inter mortales egit Elector an. 1652. post diuturnas morbi molestias extinctus annorum 87. senex, numerans à sui electione an. 29. Mortuo scriptum Epitaphium hoc: *Satis est, quiescat anima & cineres: sat multa fecit & passus est. Habeat quietem moriendo, quam vivendo habere non potuit.*

CVIII. CAROLVS CASPARVS LXXXII. ARCH. XXXVII. ELECTOR.

Familiae nobilissimæ de Leyen, seu Petra germanus Carolus Elector, permultos collegit fructus per annos diuturnæ pacis maximè frugiferos. Atdemum Gallorum Rege Ludovico XIV. & Coloniæ Electore foedera nectentibus, Cæsari & Imperii Principibus parùm amica, hanc ob rem urbs Trevirensium à Gallorum exercitu obsessa, expugnata, & ab expugnatoribus propugnaculis novis munita est, monasteris compluribus, inter quæ & S. Maximini nobilissimum fuit, solo æquatis. Anno dein 1675. à Carolo Lotharingio, & Wilhelmo Luneburgico Ducibus supremis vieti Galli, severas Deo vindici dedere poenas: Vignoroyus namque monasteriorum princeps vastator, dum facies subdere cœnobiorum ultimo paravit, à furioso equo in flumen præcipitatus interiit. Bovillerius inter Gallos supremus Treviris præfectus tormenti globo foedè laceratus, exspiravit; supremus Gallicani exercitus Dux Creuius captus majori vitæ, quam mortis dolore, vidit suorum vulnera & funera plurima, amissam victoriam, urbem Trevirensium cum Saraburgo suis reddi dominis, triumphante Cæsare. Hoc rerum eventu latus Elector Casparus, dum multa molitur, ut cuncta bello destructa restituat & instauret, tumulo illatus curas maximas in Successorem transfculit an. 1676. Sed. an. an. 24.